

diam excitans, velut omnium parens & Magister maximo studio coleretur ac amaretur: beatus etiã tũ à plerisque appellatus.

R. Honestum fecit illum Dominus & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. *r.* Justum deduxit Dominus per vias rectas; & ostendit illi regnum Dei. * Et dedit.

Lectio r.

QUI verò in sæculo, terrã nempe desertã & inaquosã, ad eò feliciter adoleverat, flos convallium plantatus in domo Domini, mirum ubique sparsit sanctitatis odorem. Igitur Paschalis, arrepto vitæ æterioris instituto, atque in ordine Minorum strictioris observantiæ discalceatorum coopatus, exultavit ut gigas ad currendam viam suam, totumque se Domino excolendum tradens, dies noctesque cogitabat quã se ratione magis ei magisque conformaret. Itã factum est brevi, ut eum tanquã Seraphicæ perfectionis exemplar, ipsi quoque proveciores imitandum sibi proponerent. Ipse autem in humili servientium gradu constitutus, se velut omnium peripsema reputans, ardua quæque & abjecta domus ministeria, veluti jure quodam peculiari sibi debita, summã cum hilaritate suscipiebat & exercebat humilitate ac patientiã pari. Carnem spiritui quandoque reluctari nitentem jugi maceratione afflictavit, atque in servitutem redegit: spiritum verò assiduã suã abnegatione ferventiorẽ in dies ad interiora extendebat.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas Paradisi coronavit eum. *r.* Induit Dominus lorica fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio. vi.

DEIPARAM Virginem, cujus clientelã se ab incunte ætate dicaverat, tanquã matrem quotidianis colebat obsequiis, atque filiali exorabat fiduciã. Porro erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, difficile dictu est, quã ardenti teneretur devotionis affectu, quem defunctus etiã in cadavere retinere visus est, dũ jacens in feretro, ad sacræ hostiæ elevationem bis oculos reseravit & clausit, magnã omnium qui aderant admiratione. Ejusdem veritatem inter hæreticos publicè palamque professus, multa & gravia ob eam causam perpessus est; crebrò etiã ad necem petitus, sed singulari Dei providentiã impiorum manibus ereptus. Sæpè inter orandum omnibus destituebatur sensibus, dulcique languebat amoris deliquio: quo tempore cœlestem illam scientiam hausisse creditus est, quã homo rudis & illiteratus de mysteriis fidei difficillimis respondere, atque aliquot etiã libros conscribere potuit. Denique meritis plenus, eãdem quã prædixerat horã feliciter migravit ad Dominum, anno salutis millesimo, quingentesimo nonagesimo secundo, sexto decimo Kalendas Junii, eodem quo natus fuerat, festo Pentecostes recurrente, annum agens secundum suprã quinquagesimum. Quibus, aliisque virtutibus insignem, ac miraculis tam in vitã, quã post mortem clarum, Paulus quintus Pontifex Maximus illum Beatum appellavit: Alexander autem octavus Sanctorum catalogo adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: ingredi in requiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.